



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 3. Quid est ususfructus?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

## §. III.

*De usu, usu-fructu & servitute.*Q. 1. *Quid est usus?*

Resp. *U*sus duplex est, nempe juris, & facti. *U*sus juris, de quo solo agunt Juristæ, est jus seu potestas legitima utendi tantum re aliena, salva ejus substantiâ. *U*sus facti est actualis usus legitimus, vel etiam jus utendi re aliena, quæ ipso usu consumatur, sed revocabile ad nutum concedentis: tale est jus, quod habent Religiosi utendi vestibibus, ac alimentis, & cœteris rebus sibi concessis.

Q. 2. *Ad quid tenetur Usuarius?*

Resp. Tenetur 1. rem, cujus habet usum, integram diligenter conservare proprietario, nam non habet jus eâ utendi, nisi salva ejus substantiâ. 2. Non ei licet percipere fructum distinctum ab ipso usu concessio; quia solus usus ei conceditur; imò nec potest usum sibi concessum alteri donare, locare, vendere, quia non habet jus utendi nisi ad suum usum.

Q. 3. *Quid est usus fructus?*

Resp. Est jus utendi, & fruendi re aliena, salva ejus substantiâ. L. 1. ff. de *Usufr.* Unde est jus non solum utendi re aliena, sed etiam omnem ejus fructum percipiendi: porro usus est assumptio rei ad aliquid, ut equi ad equi-

mandum: fructus verò est id, quod provenit ex re, ut Agnus, vellana ex ove.

Hinc usu-fructuarius potest omnem fructum rei, & utilitatem percipere, v. g. In fundo, quidquid in eo nascitur ut fœnum, segetes, lapides, metalla, arenæ, &c. quæ crescunt in fundo; item proventus venationum, aucupiorum, &c. fructus arborum: in animalibus verò fœtus, lanam, lac, &c. In sylvis cædendis potest se gerere ut Pater-familias cædendo quotannis certam portionem; non potest tamen arbores grandiores nisi valdè vetustas, & ferè inutiles, neque frugiferas cædere. Non fit autem Dominus fructuum, nisi postquam eos percepit. Potest etiam omnem utilitatem ususfructûs, & usum Juris vendere, locare, vel donare, manente apud ipsum usufructu, quem non potest alteri donare, aut vendere, sine consensu proprietarii.

*Q. 4. Ad quid tenetur usu-fructuarius?*

*Resp.* Ex Instit. de rer. divis. & Digest. de usu-fructu. Tenetur 1. uti re cuius habet usufructum sicut bonus Pater-familias utitur re sua quam sibi, & posteris conservare cupit, unde non potest arbores non cæduas cædere, agrum deterioreni etiam negligentia suâ facere, teneturq; de damnis suâ culpâ proprietario illatis. 2. Si habeat usufructum pecorum, tenetur in locum capitum demortuorum, vel inutilium, alia capita è fœtu substituere, quæ substituta